

tra mentem vehementius afluat.

Alii dividunt propria, & ditiores fiunt. Quia centuplum accipiunt in hoc tempore, & in saeculo venturo, vitam aeternam. Electi qui proprias substantias praesenti in vita, ob amorem regni caelorum indigentibus per eleemosynas dividunt, ditiores fiunt in caelestibus & spiritualibus donis, quam olim fuerant in terrenis & carnalibus possessionibus.

Alii rapiunt non sua: & semper in egestate sunt. Semper, inquit, in egestate: non solum in tormentis, ubi nec stillam aquae, unde ad modicum refrigerentur, accipiunt: sed & in praesenti, ubi quamvis innumera rapiat, semper avarus eget.

Anima qua benedicit, impinguabitur: & qui inebriat, ipse quoque inebriabitur. Qui exterius benedicit praedicando, interius augmenti pinguedinem recipit: & dum sacro eloquio mentem auditorum deebriat non definit, potu multiplicis muneris deebriatus excrescit.

Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis: benedictio autem super caput vendentium. Qui sanctae praedicationis apud se verba retinet, talis maledicetur in populis: quia non solum culpa silentii, sed pro multorum quos corrigere potuit, poena damnatur. Ipse est servus piger & malus, qui pro retentione talenti quod accepit, in exteriores tenebras missus est. Vendunt autem frumentum, qui verbum vitae audientibus conferunt: à quibus pretium fidei & confessionis recipiant, dicente Domino: Negotiamini dum venio: quorum capiti benedictio supervenit, dum singulis de tali negotio redeuntibus Dominus dicit: Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituiam: intra in gaudium Domini tui.

Bene confurgit diluculo, qui querit bona: qui autem investigator malorum est, ab eis opprimetur. Bona querere quae facere debeas, quibus ad caelestia bona pervenias: hoc est, bene diluculo confurgere: id est crescente luce scientiae ad bonum opus accingi. Vel certe bene, id est, ad vitam confurgit in tempore resurrectionis, qui nunc bona querit in tempore operationis. Qui autem mala quae dicat, sive agat, modo solers inquirat: tunc eorum pondere ne ad altiora regni perveniat, retardatur.

Qui consistit in divitiis suis, corruiet: iusti autem quasi virens folium germinabunt. Qui praesentibus bonis inhians futura non cogitat, utriusque in novissimo carebit: qui autem spe futurorum praemiorum bona facit in praesenti, iuste quod sperant, accipiunt. Virens quippe in arbore folium, fructus quos nondum ostendere habet, signat affuturos: & iusti quasi virens folium germinant: quia spe salvi facti, in fidei ac virtutum gratia proficere non cessant.

Qui conturbat domum suam, possidebit ventos: & qui stultus est, serviet sapienti. Stultus est peccator quilibet: qui dum vitam sapientis, hoc est, iusti invidet, atque invadendo persequitur, ad probationem ejus velut ignis auro defervit. Qui mentem suam tumultibus cogitatum noxiarum conturbari non metuit: hanc utique malignorum spirituum fluctibus quibus obruatur, aperit. Et qui stultus est, sapientem persequitur. Per hoc ei etiam dominando servit: quia patientiam ejus premendo probatiorem reddit, ut se videlicet damnato, ille bravium pro quo certabat, accipiat.

Fructus iusti, lignum vitae: Merces iusti, visio est Christi. Ipse namque est sapientia, de qua dictum est: Lignum vitae est amplectentibus eam. Et in Apocalypsi: Qui vicerit, inquit, dabo ei edere de ligno vitae, quod est in paradiso Dei mei. Et hunc fructum modo iusti expectant, quamdiu sicut praedictum est, quasi virens folium germinant.

Et qui suscipit animas, sapiens est. Qui animarum curam pro Domino suscipit: ut eas scilicet vel errantes doceat, vel mactas consoletur, vel egentes temporalibus bonis sustentet: vel renitentes ad remedia salutis pertrahat: vel pastore destitutas gubernet: quo una secum plures ad Dominum perducatur: qui, inquam, ita animas suscipit, sapiens est. Quia nimirum suae animae per haec unde sublimius cum Domino regnet, procurat.

Si iustus in terra recipit, quanto magis impius & peccator? Qui diligit disciplinam, diligit scientiam: qui autem odit increpationes, insipiens est. Si sancti martyres tanta passi sunt iusti, quanta putas eos manere tormenta, qui illos affligebant iniusti? Si Job & Tobias, caeterique Dei electi

tanta in hac vita receperunt adversa: quid contristaris, si te, qui tam longè à iustorum vestigiis jaces, tentans ad modicum afflictio tangit? Et quidem te & si impium dicere aut credere non debes: peccatorem tamen te esse, id est, aliqua habere peccata parva sive magna, aperta sive occulta, insidiari non debes: imò confiteri debes, ne te ipse seducas: & veritas in te esse non possit. Si ergo iusti in terra coperunt, Abel martyrii, & Job exempla patientiae; quanto magis impii Antiochus, atque Herodes, & peccatores in Evangelio paralytici: qui non nisi dimissis primò peccatis, curati à Domino poterunt? Notandum quòd hanc sententiam Petrus in Epistola, juxta antiquam translationem posuit, dicens: Et si iustus vix salvabitur, impius & peccator ubi parebunt?

Caput XII.

QUI bonus est, hauriet à Domino gratiam: qui autem confidit cogitationibus suis, insipie agit. Non roborabitur homo ex impietate, & radix iustorum non commovebitur. Horum versiculorum connexo, talis est: Qui bonus est: non confidit cogitationibus suis, sed Domini gratiam querit, ac per illam accipit, ut pie vivere possit. Qui autem cogitationibus suis confidit, bonus esse nequit. Nam quia gratiam superni adjutoris petere non curat, merito in impia actione perdat.

Mulier diligens, corona est viro suo: & putredo in ossibus ejus, quae confusione res dignas gerit. Patet litera sensus: Quia mulier bona & casta, honorem viro suo praebet in omnibus ejus virtutibus: ipsa domum bene regens, quasi gratiam addit coronae. At verò adultera & si foris speciosa patet, intus tamen fetore luxuriae sua membra inquinat. Verum spiritualiter, Ecclesia coronam Christo non aliam quam seipsam offert: Omnes enim qui in circuitu ejus sunt, offerunt munera: & filius Sirach de magno sacerdote: ipse stans juxta aram, & circa illum corona fratrum. At ossa, id est, virtutes quas haereticorum factio cernitur habere, putredo pravi dogmatis corrumpit.

Cogitationes iustorum, judicia: & consilia impiorum fraudulentata. Verba impiorum insidiantur sanguini: os iustorum liberabit eos. Iusti sua facta, si Domino placeant, sedula meditatione dijudicant: ne forte ipsis minus sollicitis, superni arbiter contra eos invisibiliter adversa disponat, juxta illud Apostoli: Si nosmetipsos dijudicarem, non utique dijudicaremur. At reprobi divini timoris oblit, de fraude quam faciunt, sua consilia cogunt.

Verte impios & non erunt: domus autem iustorum permanebit. Versi de hac vita impii, non erunt quod fuerant: quia post mortem non qualia credebant, inveniunt, sed spe sua frustrati, pro praemiis tormenta recipiunt. Domus autem iustorum, id est, Ecclesia: quae partim peregrinatur in terris, partim regnat in caelo, nunquam deficit: sed quaecumque membra ejus hinc illo perveniunt: ibidem gaudia quae sperant, inveniunt. Aliter: Verte impios & non erunt: Quòd multa impietas in diis gentilium, multa in sectis haereticorum, multa in praestigiiis magorum: multa in persecutionibus exitit paganorum: sed & his Domino donante subversis, ablata est pariter & memoria impietatis eorum: etiam ipsi apices stulti, ipsa dogmata igne rapti: ut in Epheso actum tempore Apostolorum legimus. Dominus autem iustorum permanebit: quia sancta Ecclesia nunquam vel abscondi potuit vel auferri: nihil ex ejus corrumpere scripturis: in nullo ejus fidem violare tanta temporum longitudo prevaluit. Potest & ita intelligi: Verte impios & non erunt, converte eos ab impietate, & non erunt jam impii, sed iusti: pro quo alia translatio dicit: Quocumque se convertit scelestus, exterminabitur; cui contra de sanctis dicitur: Quoniam diligentes Deum, omnia cooperantur in bonum.

Doctrina sua noscitur vir. Viros vocare scriptura solet eos, qui virtutibus sunt praediti divinis. Unde Apostolus, Vigilate, stete in fide, viriliter agite. Doctrina ergo sua quisque vir esse noscitur, quia si recta docet, & haec operibus implet, sanctus esse colligitur.

Qui autem vanus & excors est, patebit contemptui. Quia scilicet ipse virilis animi fortitudinem habere contempsit.

Melior est pauper & sufficiens sibi, quam gloriosus & indigens pane. Melior est idiota & simplex frater, qui bona quae novit operans, vitam meretur in caelis, quam qui cla-

rus eruditione scripturarum, vel etiam doctoris sanctus officio, indiget pane dilectionis. De cujus dilectionis ea parte quae ad proximum pertinet, subsequenter adjungit.

Novit iustus animas juvenentorum suorum. Id est, misereatur & compatitur hebetudini ac fragilitati proximorum sibi commissorum.

Viscera autem impiorum crudelia. Qui non solum non compatitur subditis, sed etiam juxta hoc quod Dominus ait, percutiunt pueros & ancillas, dicentes, Moram facit Dominus meus venire.

Qui operatur terram suam, saturabitur panibus: qui autem seclatatur otium, stultissimus est. Qui suavis est, vivit in moderationibus: & in suis moritionibus relinquit contumeliam. Ille terram suam strenuè operatur, qui arcana cordis sui per quotidiana exercitia, per legis meditationem, per vigilantiam mentis, quasi qui exercet agriculturam, instanter erudit, atque spiritualibus cibis velat panibus, ne fame ignorantiae periclitetur, interioris hominis sui sensum reficere non desistit. Qui exercet animam suam spiritualibus studiis, & nunc virtutibus, & tunc dapibus saturabitur praemiorum. Qui autem pro salute animae suae nunc laborare detrectat, tunc inter stultos reprobandus: tamen nunc vel divina, vel mundana sapientia gloriosus videtur.

Desiderium impiis, monumentum est pessimorum. Desiderat impius praecedentes malos imitari: & de illorum vita atque actibus loqui. Vel certe desiderium ejus eo tendit, quamvis ipse nesciente, ut cum prioribus injustus, aeternae mortis carcere claudatur. Verum quia tales exitum quem minime praevident, incurrunt: dicit è contra de bonis:

Radix autem iustorum proficiet. Propter peccata labiorum ruina proximat malo: effugiet autem iustus de angustia. Quia nimirum fides, & charitas electorum, quae radicati sunt in Christo, nequaquam eos fallit: sed ad perfectiora semper crescens, plus quam sperare novit, in futuro percipit.

De fructu oris sui unusquisque replebitur bonis. Fructus oris, est ore bonus. Nam qui mala loquitur, non fructum ore generat, sed damnum. Omnis iustus qui bona loquitur, bonis donabitur aeternis: si tamen his quae loquitur actu non repugnat. Hoc etenim vigilanter adjungit, cum dicit:

Et juxta opera manuum suarum retribuetur ei. Via stulti rectam oculis ejus: qui autem sapiens est, audit consilia. Neque enim aliter fructuosus fit suus sermo doctori, nisi ipse prior faciat bona quae docet.

Fatnus indicat iram suam: qui autem dissimulat injuriam, callidus est. Qui quod novit loquitur, iudex justitiae est: qui autem mentitur, testis est fraudulentus. Qui se in praesenti desiderat ulcisci, fatuus est: qui autem pro Domino injuriam contemnit, sapiens. Hunc versiculum alia translatio sic habet: Stultus eadem hora pronunciat iram suam; occultat autem ignominiam suam altus. Non autem ignominiosam iracundiae passionem ita à sapientibus occultandam esse decernit: ut ejus velocitatem culpans, non prohibeat tarditatem: quem utique si per necessitatem humanae infirmitatis irruerit, ideo censuit occultandam: ut dum ad praesens sapienter obtegatur, à sapientibus amoveatur, & in perpetuum deleatur. Haec enim est natura irae, ut dilata langueat & pereat: prolata verò magis magisque ferveat.

Est qui promittit, & quasi gladio pungitur conscientia. Promittunt se nonnulli obedire veritati: sed ubi tentatio terrenis, sive blandiendis impedimentum praestiterit, deserunt quidem cepta: sed tamen conscientia promissi, quasi gladio punguntur.

Lingua autem sapientium est sanitas. Quia & bona quae promittunt, ipsi perficiendo ad vitam perveniunt: & aliis quae sequuntur, praedicando demonstrant.

Labium veritatis firmum erit in perpetuum: qui autem testis est repentinus, concinat linguam mendacii. Dolus in corde cogitatum malo: qui autem pacis incunt consilia, sequitur eos gaudium. Non contristabit iustum quicquid ei acciderit: impius autem replebitur malo. Abominatio est Domino labia mendacia: qui autem fideliter agunt, placent ei. Labium veritatis, est praedicatio Apostolorum atque Prophetarum: quorum locutio dum à tramite veritatis non deviat, in aeternum firma persistit: quia dissolvi minime potest. Testis repentinus, doctor est haereticorum: qui ab eorum dictis aberrans, dum ea quae rectè non sentit, repente pronun-

Tom. V.

ciare cupit: mendacium potius quam veritatis locutionem cogitatione sua componit. Fides Ecclesiastica semper manebit: qui autem repente nova dogmata infert, mendacii est minister.

Homo versutus calat scientiam. Versutus hoc loco in bono intelligitur: id est, sapiens & prudens, qui nonnunquam de industria, suam caelat scientiam duplici nimirum ratione: vel non valens infirmis auditoribus loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus: vel nolens dare sanctum canibus, neque ante porcos margaritas projicere.

Et cor insipientium provocat stultitiam. Quando vel ipsi plus appetentes sapere, quam oportet sapere, eo usque meditando profluunt: ut pro sapientia, stultitiam teneant. Vel certe alios quae necdum capere queunt, docere nitentes, ad majorem eos stultitiam provocant: & quasi faucibus oculis lumen ingerentes, solis modicum lucis, quod cernere videbantur, auferunt.

Manus fortium dominabitur: quae autem remissa est, tribuit serviet. Perfecti quippe non solum vitiorum bella superant, sed & electis fratribus majori virtutum gratia principantur. Qui autem dissoluti animo peccatis implicari non metunt, pessimo exactori diabolo tributa vitiorum quotidie solvunt: & si non dominium ejus viventes penitendo evaserint, post mortem traditi eidem, in carcerem ab eo penarum mittuntur aeternarum: juxta quod Dominus in Evangelica parabola testatur. Neque enim de talium correctione desperandum est, cum protinus adjungatur.

Moror in corde viri humiliabit illam: & sermone bono latificabitur. Quia nimirum necesse est ut prius peccatorem moror penitentiae salubriter humiliet: & ita postmodum per iudicium sacerdotis, sermo data reconciliationis latificet.

Qui negligit damnus propter amicum, iustus est. Si hoc de generali pecuniae largitione, & puro homine amico, rectè dicitur: quanto magis iustitiae corona dignus est, qui propter eum qui dixit: dico vobis amicis meis, ne terreamini ab his qui occidunt corpus: vel vendens quae possidet, pauperibus tribuit: vel rapinam bonorum suorum cum gaudio suscipit: vel certe ipsam in passione carnem mortificandam, sive occidendam tradit?

Iter autem impiorum decipiet eos. Cum vel sua retinere, vel aliena rapere gaudent. Unde rectè subjungitur.

Non inveniet fraudulentus lucrum: & substantia hominis erit auri pretium. Fraude namque acquisita pecunia, plus in anima damni, quam lucri addit in arca: & qui propriam pro Domino substantiam novit dispensare, remunerante ipso, pro terrenis caelestia dona recipiet. Aliter: Non inveniet fraudulentus lucrum: & substantia hominis erit auri pretium: qui fraudulenta mente simulat se esse bonum: nequiter vivens in occulto, non inveniet bona vitae sequentis. Qui autem substantiam virtutum spiritualium veraciter acquirit, mercabitur ex ea claritatem regni perennis: quod verbis sequentibus apertius dicit.

In semita iustitiae, vita: iter autem devium ducit ad mortem. In semita enim iustitiae, substantiam acquirit virtutum: quibus aeternae vitae claritas auro preciosior emittit. Iter autem pravum quo fraudulentus incedit, perditio lucro temporali quod appetit: ad mortem quam praevidere noluit, tendit sempiternam.

Caput XIII.

FILIUS sapiens, doctrina patris: qui autem illusor est, non audit cum arguitur. De fructu oris sui homo satiabitur bonis: anima autem impiorum iniqua. Qui custodit os suum, custodit animam suam: qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala. Tantum inter sapientem distat & stultum: ut hic aliquando profectu eruditionis ad eum qui se docuerat, docendum perveniat: ille nec cum arguitur, noverit audire.

Vult & non vult piger: anima autem operantium impinguabitur. Verbum mendax iustus detestabitur: impius autem confundit & confundetur. Iustitia custodit innocentis viam: impietas autem peccatorem supplantat. Rectè pigri vocabulo denotatur, qui vult regnare cum Domino, & non pati pro eo: delectant praemia, cum pollicentur: deterrent certamina, cum jubentur: de quo Jacobus ait: Vit duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis. Et si-

M m ij

lius Syrach: Væ peccatori terram ingredienti duabus viis: qui autem iusta operantur Domini, ideo faciunt quia anima illorum perfecta supernorum dulcedine reficitur: iuxta eum qui Dominum obsecrat, dicens: Sicut adipe pinguedinis repletur anima mea. Vel certe anima operantium impinguabitur: quia qui piis pro Domino laboribus insudant, celesti & inaccessibili post labores corona donabuntur.

Est quasi dives cum nihil habeat: & est quasi pauper, cum in multis divitiis sit. Dives sibi videbatur ille qui induebatur purpura & bysso: & epulabatur quotidie splendide. Sed quia Deum non habuit, comperit in fine nihil fuisse quod habuit. Unde dictum est de talibus: Dormierunt somnum suum: & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis. Pauper è contra videbatur Lazarus, qui jacebat ad januam ejus, ulceribus plenus: sed in multis erat divitiis, quia virtutem habuit humilitatis: quia conditorem omnium divitiarum, videlicet Deum, corde gestabat. Quid autem verè divitiæ valeant: quid vera paupertas agat, subdendo manifestat.

Redemptio anima viri divitiæ sue: qui autem pauper est, increpationem non sustinet. Qui ergo animam suam vult redimi à futura ira, congreget divitias operum bonorum: Qui enim eget hujusmodi divitiis, increpationem districti iudicis sustinere non valet: de qua Psalmista postulat, dicens: Domine ne in ira tua arguas me: neque in furore tuo corripas me. Alioquin pauperes non ibi increpantur à Domino, sed benedictionem æternæ hereditatis percipiunt.

Lux iustorum lætificat: lucerna autem impiorum extinguetur. Lux iustorum quæ perpetuò lætificat, spes est futurorum. Lucerna impiorum quæ repente extinguetur, felicitas est sæculi labentis.

Inter superbos semper jurgia sunt: qui autem agunt cuncta consilio, reguntur sapientia. Jurgantur inter se semper hæretici: jurgantur & cæteri reprobi: quia videlicet non norunt unitatem fidei & veritatis. Fideles autem qui consilio divinatorum eloquiorum frui non cessant, reguntur moderatione sapientiæ, quæ eos jurgari non sinit.

Substantia festinata minuetur: quæ autem paulatim colligitur, manu multiplicabitur. Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem: neque ipsas divitias, quas vel acquirunt vel cupiunt, perpetuò possident. Qui autem pro accipienda substantia præmiorum celestium, iustus insilit laboribus: multiplicata supernæ beatitudinis munera percipiet: de quo aptè subditur:

Spes quæ differtur affligit animam: lignum vite, desiderium veniens. Quia nimirum quamdiu differtur spes æternorum, affligitur anima fidelium: vel pro dilatione videlicet bonorum, quæ amat: vel pro illatione malorum, quæ tolerat. At ubi venerit quod desiderat, facile obliviscitur quod sustinuerat: quia in æternum vivere incipit cum suo redemptore, quem tota intentione quærebat: ipse est enim lignum vite amplectentibus se.

Qui detrahit alicui rei, ipse se in futurum obligat. Qui bonæ rei detrahit, se in futurum obligat: quia quod non debuit faciendo, penam sibi qua constringatur præparat. Sed & is qui male rei detrahit, ipse se in futurum obligat: Non ut pro tali detractione penas luat, sed ut post detractionem sese cautius agat: quia nimirum quæ in aliis iuste reprehendit, in se impunè non admittit: clamante Apostolo: Qui prædicas non furandum, furaris: qui dicis non mœchandum, mœcharis: qui abominaris idola, facilegium facis: qui in lege gloriaris, per prævaricationem legis Deum inhonoras.

Qui autem timet præceptum, in pace versabitur. Anima dolose erant in peccatis, iusti autem misericordes sunt & miserentur. Lex sapientis, fons vite: ut declinet à ruina mortis. Doctrina bona dabit gratiam: in itinere contemptorum vorago. Melius est ergo de sua quemque fragilitate metuere, ne forte divina prævaricetur imperia, quam aliorum errata stultis ore lacerare, dicente rursus Apostolo: Et si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto: vos qui spirituales estis, instruite hujusmodi in spiritu mansuetudinis, considerans te ipsum, ne & tu teneris.

Atus omni à agit cum consilio: qui autem fatuus est, aperiet stultitiam. Ubi omnia cum consilio docet agenda, divinum potius quod factis eloquiis inditum est, quam humanum intellige consilium. Fatuus est enim qui extra hoc consilium

vivit, quamvis naturaliter astutus esse videatur & prudens. De quo rectè subditur.

Nuncius impij cadet in malum. Arius dicit & Sabellium cæterosque angelos, id est, nuncios Satanæ: qui quoniam consilium neglexere divinarum scripturarum, deciderunt in malum gehennalium tormentorum.

Legatus autem fidelis, sanitas. Egestas & ignominia ei qui deserit disciplinam: qui autem acquiecit arguenti, glorificabitur. Id est, Catholicus quisque prædicator, sanitatem sibi suisque auditoribus acquirit æternam.

Desiderium si compleatur, delectat animam: detestantur stulti eos qui fugiunt mala. Omne desiderium sive bonum, sive malum sit: ubi ad effectum pervenerit, delectat animam. Sed stulti qui carnalibus solum desiderijs gaudent, detestantur eos qui pro amore celestium infima oblectamenta contemnant.

Qui cum sapientibus graditur, sapiens erit: amicus stultorum efficietur similis. Peccatores persequitur malum: & iustus retribuentur bona. Cum sapientibus ire, est sapientium actus imitari. Quamlibet ergo simplex quisque sit & rusticus, qui arcana sapientiæ comprehendere nequeat: si tamen sapientium exempla vivendo sectatur, jure inter sapientes annumerabitur. Qui verò stultos non propter naturam, quia homines sunt: sed propter stultitiam, quia mimi sunt, vel histriones, vel aliqui tales: non ut instruendo corrigat amat: sed ut favendo deteriores efficiat, aliis nimirum & si per ingenium, vel doctrinam, sapiens videret, stultorum nota peccat vel turpitudine dignus, simul & damnatione tenebitur.

Bonus relinquet heredes, filios & nepotes: & custoditur iusto substantia peccatoris. Sæpe videmus bonos sine filiis obire: imò majora à Domino præmia polliceri his, qui filiorum procreationi virginitalis castimoniam præpulerint, sed & substantiam iustorum à peccatoribus tolli. Nam & Apostolus glorificat eos qui rapinam bonorum suorum cum gaudio susceperunt. Unde spiritualiter intelligendum, quia bonus & iustus Dominus est, qui post passionem suam ascendens in celum, reliquit heredes suæ doctrinæ, Apostolos & successores eorum: ad cuius fidem conversa est multitudo gentium, quæ erat substantia diaboli. Intravit namque in domum ejusdem malè fortis adverbarii: & eum majori virtute conterens, diripuit arma ejus, in quibus confidebat: & spolia ejus distribuit: ut ipse in Evangelio testatur. Vel certe iusto substantia peccatoris custodita est, quando ablatum est à Judæis regnum Dei, & datum est genti facienti fructus ejus.

Multi cibi in novalibus patrum: & alii congregantur absque iudicio. Absque iudicio recto facit qui divitiis congregandis sedulus insilit: & has aggregatas non ipse pro redemptione animæ suæ pauperibus dispensat, sed aliis post se dispensandas reservat: iuxta quod in superiore versu iuxta literam dicitur: Et custoditur iusto substantia peccatoris: maxime cum sibi victus abundet ex jure paternæ hereditatis: neque ulla pecunias colligendi necessitas incumbat. Hoc est enim quod ait: multi cibi in novalibus patrum. Juxta vero sensum spirituales, multi sunt cibi alimonie celestis in dictis, & exemplis venerabilium patrum. Et absque ratione facit, qui his legendis, meditandis, & exponendis instans, non suæ salutis per hoc, sed aliorum potius servit: dum ipse ab his quæ legit, vel actibus reprobis, vel etiam in impietate sensus hæretici discrepat. Talis namque in novalibus, id est, operibus sive sermonibus patrum, optima institutione excultis: non sibi, sed aliis subsidium acquirit: illis videlicet qui tractatus ejus legentes, arcana per eos spiritualis sensus, quibus interius reficiantur, inveniunt. Utrique autem sensui convenit aptè quod sequitur:

Qui parcis virga, odit filium suum: qui autem diligit illum, instanter erudit. Nam & pater bonus, filium: & discipulum, Magister Catholicus: ne ad iniquitatem deflectat, sollicitus erudit. Præcedentem autem versiculum, antiqui interpretes ita transtulerunt: Viri iusti divitiis annis multis fruuntur: iniqui autem perient breviter.

Iustus comedit & replet animam suam: venter autem impiorum insaturabilis. Iustus percipit cibos sapientiæ: qui in novalibus patrum, hoc est, in operibus ac verbis præcedentium iustorum probantur exorti: & ad hos profectum animæ suæ bene vivendo trajicit. Venter autem impiorum, id est, capacitas sensus hæreticorum insaturabilis: quia sicut

Apostolus ait: Semper discentes, nunquam ad veritatis scientiam perveniunt. Quare autem saturari scientia non merentur, nisi quia nequamquam refecti cibis paternæ institutionis, aliis hoc congregant absque iudicio?

Caput XIV.

SAPIENS mulier edificavit domum suam: insipiens extruendam quoque destruet manibus. Et unaquæque anima fidelis, & Ecclesia per orbem Catholica, mansione sibi in patria celesti bonis actibus edificat. At verò reprobi, ea quæ bene sunt à bonis ordinata, malè vivendo, aliquando etiam apertè repugnando dissipant. Quare autem stulti sapientium actus lacerent, sequentibus verbis ostenditur, cum dicitur:

Ambulans recto itinere, & timens Deum, despicietur ab eo qui insani graditur via. Abominatio est enim peccatoribus bonorum religio: stultumque vident incredulis, cum fideles propter Dei timorem, non tantum abijciunt timorem, sed & tormenta ridet eorum qui occidunt corpus, de quibus adhuc aptè subiungitur:

In ore stulti, virga superbia: labia sapientium custodiant eos. Quia per stulti vaniloquium, humiles quos despiciunt, effigunt: sed iidem humiles spiritu per doctrinam de sapientiâ, ne decipiantur, muniunt.

Ubi non sunt boves, præsepe vacuum est: ubi autem plurime segetes, ibi manifesta fortitudo bovis. Testis fidelis non mentitur: profert mendacium dolosus testis. Hærent hæc supereribus. Boves namque doctores Catholicos: præsepe, cæcum auditorum: segetes dicit fructus operum bonorum. Incallum ergo tumet superbus: & indocta eloquentia verberat aures ac corda subceptorum: quia ubi non sunt docti prædicatores, frustra ad audiendum confluit turba plebium.

Ubi autem plurimæ operationes apparent virtutum, ibi apertissime claret: quia non hæreticus in vanum garrit, sed pro verbi frugi laboravit ille, qui & ipsum verbum casto ore ruminare, & vitam veritatis recto discretionis pede noscitur incedere. Nec mirandum est in præsepi, auditores significari dixerimus: cum bos alatur de præsepi: doctor autem verbo audientes solet nutrire: sed intuendum quia & de labore bovis præsepe impletur: & ipse bos suo fructu de præsepi reficitur. Quia nimirum prædicator fidelis, & audientes verbo reficit: & eadem refectio apud Deum ipse proficit, quod in opere figuratur Eliæ, qui Sareptanum viduam pascit, à qua & ipse pascitur.

Quærit derisor sapientiam, & non inveniet: doctrina prudentium facillis. Caiphas qui Domino dixit: Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis, si tu es Christus: quia malè quærebat, invenire quod rogabat, non meruit. At discipuli qui sese humiliter auditui veritatis subdiderant: accepta spiritus gratia: non solummodo Christum Dei Filium cognoscere, sed & abdita scripturarum intelligere meruerunt. Sed & tunc doctrina prudentium facillis erat, quando Cornelius cum domo sua, & cæteri tales verbum humiliter audientes, mox credebant: & accepto Spiritu sancto: linguis loquebantur omnibus. Nunc quoque doctrinam fidei Catholicæ prudens quisque dum catechizatur, facile percipit: quam hæretici, quia perversè quærunt, nunquam profusus inveniunt.

Vade contra virum stultum: & nesciet labia prudentiæ. Sapientia callidi est intelligere viam suam: & imprudentia stultorum errans. Stultus illudat peccatum: & inter iustos morabitur gratia. Ideo derisor sapientiam quam quærit, non invenit: quia & si aperte contra illius stultitiam disputando incedas, nescit intelligere quæ dicis: ut Arius, qui verbum consubstantialitatis in Patre & Filio, nusquam in scriptura inveniri posse contendeat, cum ei manifestè scriptum objiceretur: Ego & pater unum sumus. Et Deus est verbum: & cætera talia. Ideo doctrina prudentium facillis est: quia labia prudentiæ sapientiâ: id est, quia labia quæcumque prudentiæ moderamine reguntur, de sapientiâ solum loqui & audire dulces habent, eisque meditationi operam dare fatagunt.

Cor quod novit amaritudinem animæ suæ: in gaudij eius non miscbitur extraneus. Amaritudinem habent animæ & electi: quamdiu à gaudiis differuntur æternis: & reprobi cum desiderijs affliguntur perversis. Sed electi quia in luce ambulant, amaritudinem suam quando sit gaudij mutanda

prævident. Porro reprobi propria sponte cæcati: quid in præfenti patientur, non vident: quid in futuro sint passuri, non prævident, ideoque à futuris bonorum gaudiis remanebunt extranei, quia amaritudinis eorum præfentis, non noverunt esse participes. Unde & aptè subditur.

Domus impiorum delectatur: tabernacula iustorum germinabunt. Est via quæ videtur homini iusta: novissima autem ejus deducunt ad mortem. Risus dolore miscbitur: & extrema gaudij luctus occupat. Vis suis replebitur stultus: & super eum erit vir bonus. Domus quippe in mansione, tabernaculis uti solet in itinere. Domus igitur impiorum delectatur: quia habitationem vitæ præfentis, in qua semper manere desiderabant, perdent in morte reprobi: & hoc quod non prævidebant, exilium perpetuæ damnationis subibunt. Tabernacula autem iustorum germinabunt: quia præfens eorum conversatio, in qua incolæ sunt apud Deum & peregrini, crescentibus sine cessatione meritis, ad fructum usque suavissimum patriæ celestis pertingit.

Innocens crevit omni verbo: astutus considerat gressus suos. Hanc innocentiam vetuit: & hanc habere docuit astutiam Joannes cum ait: Charissimi, nolite omni spiritui credere: sed probate spiritus, si ex Deo sunt.

Sapiens timet, & declinat à malo: Stultus transiit & confidit. Sicut stulti est de sua alacritate confidere, torrentem rapidum, vel voraginem latiore saltu velle transire: sapientes autem ad planum, vel pontem, vel divertere: ita qui peccatum quantum valet, declinat, timens ne involvatur malis, sapiens autem ille qui contemptum peccat, blandiens sibi quia aut posteriori tempore penitentiam agat commissorum: aut si repente moriatur, fortiter penas inferi sufferat.

Impatiens operabitur stultitiam, & vir versutus odiosus est. Possi debent parvuli justitiam: & expectant astuti conscientiam. Reprehensibilis quidem est homo impatiens: sed multo peior & odiosior Deo est versutus: tamen apud homines melior æstimetur. Ille enim palam omnibus suam ostendit stultitiam: iste autem cum sit corde perversus, sæpe simplicitatem simulat, & justitiam: atque humano iudicio sanctum se dici delectat, cum sit divino examine inter reprobos æstimatus.

Faciebunt mali ante bonos: & impij ante portas iustorum. Etiam proximo suo pauper odiosus erit: amici verò divitiis, multi. Qui despiciat proximum suum, peccat: qui autem miseretur pauperi, beatus erit. Qui credit in Domino, misericordiam diligit: errant qui operantur malum. Misericordia & veritas præparant bona. In omni opere bono erit abundantia: ubi autem verba sunt plurima, ibi frequentur egestas. In novissimo iudicio coronatis iustis, damnabuntur reprobi, qui eos in præfenti premebant. Quod enim ait, ante: id est, ante bonos, & ante portas iustorum: non ad vicinitatem loci, sed ad visionem pertinet bonorum, quia malorum tormenta semper aspiciunt, ut majores ereptoris sui gratias sine fine referant. Unde Isaïas de illis: Egredientur & videbunt, inquit, cadavera virorum, qui prævaricati sunt in me: Vermis eorum non morietur: & ignis eorum non extinguetur: & erunt usque ad satietatem visionis omni carni. Quod autem ait, egredientur: non pedum processum, sed oculorum significat intuitum: quem intus in regno positi, ad videnda pravorum supplicia, foras cum voluntate mittunt.

Corona sapientium divitiæ eorum: fatuitas stultorum, imprudentia. Sapientes non terreni aliquid emolumentum pro divitiis habent: sed coronam solummodo quam pro virtutibus in futuro percipient. At stultorum fatuitas maxima hæc est: quia improvidi æternorum, de præfentibus tantum commodis gaudent. Imprudentia enim quasi improvidentia dicitur.

Liberat animas testis fidelis: & profert mendacia versipellis. Liberat animas Christus, qui est testis fidelis: ut in Apocalypsi legimus: & sicut Apostolus ait: Testimonium reddidit sub Pontio Pilato bonam confessionem. Et profert mendacia diabolus. Qui rectè appellatur versipellis: quia mala quæ facienda gerit, bona esse pronunciat: & gaudia promittit æterna eis quos ad inferni tormenta præparat. Item liberat animas Catholicus doctor, qui testimonia scripturarum fideliter, id est rectè prædicat: & profert mendacia hæreticus: Vel sicut alia editio manifestè transtulit: Incendit autem mendacio dolosus: subauditur, animas eorum quos suos errore decept.